

*surripiendi divini honoris studio, etiamnum hodie sibi suisque veritatem arroget, germanisque veritatis filiis suum mendaciorum falsitatem tribuat. Proinde & sua ob rerum veritatem nomina in alios prior convitiando transfert, ut in ipsum minus haerere videantur, quod posterius dicantur. Ita LINDANUS, cujus verbis subscribimus, quinam vero illi convitatores sint, expendendum relinquimus illis, qui in Scriptoribus Pontificiis quanta sit bilis & acerbitas compertum habent: ut vel ex Schereri pallio mendicatorio patet, quem Lutheranis tribuere ausus.*

## §. VI.

Subjungimus adhuc duos testes; Alterum FRANCISCUM TURRIANUM, insignem itidem inter eos, qui a Societate Jesu cognominari cupiunt, qui pro confecto negotio habet, Evangelicos esse haereticos, ita ut ad convincendos eos, nihil amplius neque desiderari neque expectari posse videatur, quam ut agatur de illis triumphus, & proclametur justissima eorum damnatio in Concilio Oecumenico Tridentino facta; Adeo triumphum ante victoriam canit TURRIANUS: nondum enim causam & hastam abjecit ecclesia purior: neque superatam se agnoscat unquam, donec ex VERBO DEI unico principio credendi erroris vincatur, quod vel testibus adversariis futurum est nunquam. Qualia vero arma adhibuit TURRIANUS, quando ultra centum haereses nobis impingere ausus est, quibus militat gladiis? An Scriptura S. per hermenevtica media a Spiritu S. nobis suppeditata? an dictis inde depromptis, aut verbis explicite positis, aut prona consequentia aliquid probantibus? Nihil tale, sed constitutiones sunt CLEMENTIS ROMANI, ad quarum plusquam cimnerias tenebras lucem doctrinae Evangelicae miser homo examinat, & ad singulas pene lineas haeresin in nostra Ecclesia reperi-

B

re